

«Audivi sicut auditur in corde, et non erat unde dubitare, faciliusque dubitare me vivere, quam non esse veritatem, quae per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.» Ita loquitur Augustinus de cognitione Dei rerumque divinarum per fidem, nam de cognitione Dei per solam demonstrationem ex creaturis, satis patet, non fuisse Augustinum certiores experientia, qua se vivere sentiebat.

3.º Ratione. a) Certitudo fidei fundatur in prima veritate quam falli vel fallere impossibilius est, quam naturalem hominis scientiam errare. Ergo... b) Praeterea pendet certitudo fidei ex lumine infuso et divino, quod longe excellentius est, quam lumen naturale intellectus, ergo etiam ratione luminis confert excellentiorem certitudinem. Confirm. Quia saepe corrigimus naturale lumen per lumen fidei, etiam circa illa, quae videntur esse prima principia, ut patet in illo principio «Quae sunt eadem uni tertio etc.,» quod in materia de Trinitate limitamus ad res finitas, et in aliis mysteriis praesertim Incarnationis et Eucharistiae multa alia limitamus, ut fidei non repugnent; ergo signum est lumen fidei certius esse (1).

69. Obj. 1.º Assensus scientificus, ratione suae evidentiae, magis excludit formidinem quam assensus fidei; nam ille excludit potentiam physicam antecedentem formidandi, non hic: ergo ille est certior.

Resp. Dist. *antec.* Excludit in actu primo; conc. In actu secundo; neg. Cum enim fides formaliter faciat intellectum appetitive magis adhaerere objecto revelato quam demonstrato, quamdiu perseverat in intellectu, ab eo magis excludit formidinem actualem quam scientia, adeoque est ea simpliciter certior. Major certitudo, ex communi sensu Patrum et Doctorum certitudinem fidei liberam necessariae certitudini scientiae praefertentium, petitur ex majori exclusione formidinis in actu secundo quam in primo, cum certitudo proprius in actu secundo quam in primo consistat.

Obj. 2.º Certitudo necessaria est major liberà; haec enim relinquit intellectum antecedenter indifferentem ad oppositum, illa non. Ergo.

Resp. Dist. *antec.* Est major liberà caeteris paribus; conc. Aliter; neg. Rationem probationis dist. Relinquit intellectum indifferentem ad oppositum ex defectu motivi ut accidit in naturalibus non evidentibus; neg. Ex defectu evidentiae in motivo praestantissimo, quod tamen ex imperio voluntatis potest ac debet summe appre-

(1) Vid. D. Thomam 2, 2, Q. 4, a. 8; Suar. De fide. D. 6, sect. 5; Platti a n. 167, de fide, etc.

tiari; conc. In comparatione certitudinis naturalis necessariae cum certitudine fidei libera non omnia sunt paria. certitudo enim fidei est superioris ordinis, et ratione sui motivi appetitive major quavis necessaria certitudine naturali etiam evidenti. Quare juxta Suarez argumentum factum solum probat, certitudinem fidei esse alterius rationis a certitudine evidentiae, et in hoc inferiorem, quod non cogat intellectum; simpliciter tamen debemus eam certiores dicere, quia ad hoc sufficit ut excludat omnem deliberatam formidinem et dubitationem, cum majori adhaesione ad objectum suum.

Obj. 3.º Saltem certitudo naturalis principiorum est major, quia ex illa pendet certitudo fidei, ut patet de illo principio: «Quodlibet est vel non est,» quod virtute includitur in quacumque alia veritate.

Resp. Neg. assertum. Ad rationem dist. Pendet ex illo principio: «Quodlibet est vel non est,» cognito ipso lumine supernaturali fidei; conc. Cognito lumine naturali; neg. Nam ut ex dictis de objecto formali deduci potest, certitudo fidei per se non pendet ex primis principiis, ut lumine naturali notis, quia non pendet per se ex discursu proprio; nec aliter fundant ipsam fidem, quam ut credita per eandem fidem. Unde si aliquid est primum principium, quod necessario involvatur in assensu fidei in eadem materia, etiam est ipsa fide creditum, neque fides pendet ab illo ut naturaliter cognito; v. g. si credo: «Deum esse trinum,» necessario credo non esse unicum in persona, neque esse quatuor personas, non propter principium naturale: «Quodlibet est etc., ut naturale est, sed quia ipsamet fides, quae facit credere affirmationem esse veram, facit etiam credere negationem esse falsam, et sic de aliis (1).»

#### SCHOLION I.

##### *Utrum assensus fidei sit discursivus.*

**Dico:** Assensus fidei ita est simplex assensus cujuscumque veritatis revelatae ut nullo modo sit formaliter discursivus.

70. **Nota.** I. Duobus modis dici potest discursus necessarius ad actum fidei: uno, antecedenter et quasi remote cum demonstrat fidei credibilitatem; alio, proxime et tamquam causa per se assensus fidei. De priore genere discursus nulla est quaestio, si enim rationales animas non haberemus non crederemus; est ergo dubium de posteriore modo, qui dupliciter fieri potest: a) Inter objectum formale et materiale assumendo rationem formalem credendi

(1) Vid. V. I. Disquis. II. nn. 55, 58.

pro medio termino syllogismi; et inferendo veritatem propositionis rei revelatae hoc modo: Quod revelatur a Deo est verum: sed a Deo revelatur mysterium Incarnationis; ergo mysterium Incarnationis est verum. b) Inter ipsa objecta materialia, ex duobus creditis inferendo tertium; inter quos modos est differentia, nam prior est per medium extrinsecum i. e. per testimonium Dei, quod extrinsecum est rebus revelatis; posterior vero est per medium intrinsecum ex una proprietate rei creditae inferendo aliam, vel ex universali particularem ut: Omnis anima humana est immortalis: Christus habet animam humanam: ergo habet animam humanam immortalem, et sic de aliis. De hoc secundo modo agemus in scholio altero.

II. Dicimus formaliter discursivus, nempe procedendo ad assensum fidei ex praemissis realiter distinctis, quia nihil prohibet dicere actum fidei virtualiter discursivum, quatenus unico actu assentitur uni propter aliud, eo tendendi modo, qui per praemissas discursus formalis explicatur, quin tamen ullo pacto sive formaliter, sive virtualiter nitatur in bonitate consequentiae; ille discursus solum declarat applicationem objecti formalis ad materiale.

Prob. 1.º Auctoritate D. Thomae, qui actum fidei explicat per simplicem assensum ex solo imperio voluntatis ad unum determinatum (1): «Proprium, ait, est credentis ut cum assensu cogitet.» «Intellectus credentis determinatur ad unum, non per rationem, sed per voluntatem; et ideo assensus hic accipitur pro actu intellectus, secundum quod a voluntate determinatur ad unum.»

2.º Necessarium est dari aliquem actum fidei, qui non sit ex discursu, sed per modum simplicis assensus. Ergo omnis assensus fidei talis est. *Conseq.* prob. Quia eadem est ratio et idem motivum assentiendi in quolibet fidei actu: ergo si uni objecto revelato potest absque discursu assentiri, et omni. *Antec.* primum prob. Si aliquis discursus fieri potest in actu fidei, maxime ille, qui efformatur ex duobus his principiis: «Quidquid Deus dixit est verum; Deus hoc dixit; ergo hoc est verum.» Sed horum principiorum non est fides per discursum. Ergo... *Min.* prob. Tum ex eo, quod non possunt assignari alia priora principia ex quibus pendeant; tum quia licet darentur, de illis rediret eadem quaestio, et sic procederetur in infinitum. Ergo... Assensum autem talium principiorum esse assensum fidei, constat, quia nisi fide crederentur, non possent deservire ad aliquid aliud de fide credendum, ut agendo de objecto formali (supr. Thes. VI), late probatum est.

3.º Et praecipue, quia assensus fidei non esset certior iudicio naturali de bonitate consequentiae, a qua ut a motivo partiali essentialiter pendet conclusio. Sed hoc repugnat dictis Scripturae et Patrum omnem rationem humanam a certitudine fidei excludentibus. Ergo... *Min.* prob. Ex iisdem testimoniis Scripturae et Patrum praesertim Chrysostomi et Basilii, quibus probata est secunda pars theseos, (n. 68. prob. 1.º 2.º)

4.º Quia modus tendendi per modum simplicis actus absque dis-

(1) 2, 2, Q. 2, a. 1, in  $\theta$  et ad 3.

curso, videtur conformior eminentiae fidei captivantis intellectum immediate propter solum Dei testimonium, et non propter bonitatem consequentiae pure naturalem, adeoque ineptam, ut sit motivum immediatum actus fidei virtutis theologicae, quae, ut communissima Doctorum tradit sententia, ex sua speciali ratione debet niti solo Dei testimonio ut objecto formali adaequato.

71. Obj. 1.º Connexio divinae revelationis cum veritate objecti revelati potest cognosci per ipsam fidem ac proinde per eandem certitudinem. Sed hoc pacto nihil obstat, quominus assensus ab illa connexionione pendens habeat puram fidei certitudinem. Ergo...

Resp. *Dist. maj.* Potest cognosci per ipsam fidem, quoad immediatam et necessariam connexionem inter objectum formale fidei et veritatem objecti revelati simplici assensu absque ullo processu affirmatam; conc. Discursus seu processus ex uno in aliud, subdist. Formaliter; neg. Virtualiter expositive ut declaratum est in nota II; conc. *Min.* sub expositione *majoris* neg. Si enim illa connexion cognosceretur per discursum formalem semper rediret argumentum de processu in infinitum.

Obj. 2.º In assensu fidei homo credit v. g. Incarnationi propter revelationem formalem extrinsecam: Sed uni credere propter aliud ei extrinsecum importat discursum; nam saltem prius naturam debet praebere assensum revelationi quam rei revelatae. Ergo...

Resp. Conc. *maj.* neg. *min.* cum sua ratione. Aliquando quidem cum objectum formale etiam est per se terminus alicujus actus et materia ejus, ut cum creditur explicite veracitas Dei, potest actu distincto credi, ab aliis actibus fidei, quibus aliis credimus mysteriis; sed per se quando praecise accipitur ut ratio credendi et tendendi in aliud, non opus est actus esse distinctos, ut videre licet in electione medii ad finem, quae potest fieri simplici actu, in dilectione proximi propter Deum, in cultu Imaginis propter rem representatam; ita ergo in praesenti, proposito objecto materiali fidei, ut credibili sub auctoritate divina potest intellectus per voluntatem moveri et captivari, ut in illud simpliciter tendat sub tali motivo.

Hinc quamvis discursus antecedit aliquando, ut objectum possit perfecte ita proponi, ille discursus non est causa per se, neque propria ratio credendi, sed est pura objecti applicatio. Inde notabis magnam differentiam intercedere inter fidem divinam et humanam, quia humana supponit per se cognitionem principiorum a quibus pendet et illam accipit; non sic fides divina, quae se ipsam illuminat, ut satis constat ex disputatis ubi de objecto formali fuit sermo.

#### SCHOLION II.

*De certitudine conclusionis ex praemissis revelatis et non revelatis deductae.*

72. *Nota.* Ex dictis in thesi consequens est deducere, in discursibus, qui procedunt ex duabus praemissis revelatis vel ex una revelata et altera non revelata nunquam conclusionem, prout ad

fidem pertinere potest, niti in ipsa syllogistica praemissarum connexionem; quae ut mere naturalis non valet fundare certissimam et supernaturalem fidei certitudinem; syllogistica connexio in hac materia solum ostendit conclusionem esse revelatam ac proinde credendam esse fide divina. Jam ad propositam quaestionem respondeo ex Platelli (1) cum communiori theologorum doctrina:

**Dico I.** Conclusio objectiva deducta ex duabus praemissis revelatis, vel ex universali revelata et minore non revelata explicite, sed certo contenta sub universali, est de fide.

I.<sup>a</sup> Pars. Prob. Conclusio objectiva legitime deducta identificatur realiter saltem inadaequate, ut pars cum toto, praemissis objectivis; ergo praemissae objectivae non possunt esse, ut supponitur, ambae revelatae, quin eo ipso conclusio objectiva sit in eis formaliter quamvis implicite revelata; ergo eo ipso, quo ex illis legitime deducitur sufficienter explicatur et ostenditur tamquam revelata. Hinc eo ipso, quod revelatum est, omnes Apostolos accepisse Spiritum sanctum et S. Matthaeum fuisse Apostolum, sufficienter revelatum est, Matthaeum accepisse Spiritum sanctum, ut fide divina credi possit.

II.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Quia quod revelatur de subjecto universim sumpto, revelatur de quovis, quod sub illo continetur; ergo eo ipso, quod revelatur propositio universalis, revelatur quaelibet particularis contenta in illa: ergo eo ipso quod per minorem certo declaratur aliqua conclusio particularis contineri in majori universali revelata, sufficienter declaratur tamquam revelata, ut fide divina credi possit.

Prob. 2.<sup>o</sup> Etiam de minore solum certa evidentia magna morali respectu omnium et excludente omnem formidinem prudentem qualis est de existentia Romae. a) Quia sufficit talis certitudo, ad revelationem factam de majori propositione conclusioni applicandam. Ergo... *Antec.* prob. Ex paritate cum motivis credibilitatis, quae licet non afferant majorem certitudinem, quam magnam moralem de revelatione praemissae majoris, sufficiunt tamen ut fide divina assentiamus majori. Ergo... b) Si Deus revelasset omnes urbes Italiae evertendas esse intra annum, possemus fide divina credere Romam intra illud tempus evertendam; quia tanta certitudine nobis constat Romam esse urbem Italiae, ut nemo possit dubitare, quin generalis revelatio de omnibus urbibus Italiae sit etiam particularis de Roma, ut in collectione omnium urbium Italiae contenta.

Dices: Conclusio juxta logicos sequitur debiliorem partem; ergo si una praemissa non est fidei nec conclusio erit de fide.

Resp. Dist. *antec.* Sequitur debiliorem partem conclusio formalis; conc. Objectiva; neg. Conclusio enim formalis est quatenus consideratur ut solum deducta ex praemissis, iisque innixa ut motivo assentiendi; objectiva vero et materialis quatenus consideratur non ut deducta, sed praecise ut explicata per praemissas decla-

(1) Synop. De fide a n. 192.

rantes et ostendentes eam esse revelatam, ut in nota praemittimus.

Quomodo aliquis, licet non possit prudenter dubitare de recta sacramentorum susceptione, non sit certus certitudine fidei de propria sua justificatione, alibi explicatum est (1).

**73. Dico II.** Conclusio deducta ex universali omnino certa et non revelata, et ex minore particulari revelata non est de fide.

Contraria, quam docent inter alios Bellarminus et Vazquez est probabilis. Prob. cum Suario (2), quia in hujusmodi discursu ita mutatur formalis ratio objectiva, ut conclusio deducta non contineatur in praemissis propter solam revelationem. Ergo assensus ei praestitus non potest esse de fide. *Antec.* prob. Quia in casu ratio perveniendi ad conclusionem non est auctoritas Dei aliquid integre, sed tantum ex parte revelantis; unde assensus conclusioni datus multum debet fundari in motivo naturali majoris universalis non revelatae. Ergo non potest esse de fide, quae unice propter auctoritatem Dei revelantis credit. Declaratur exemplo, cum theologus v. g. argumentatur: «omnis homo est risibilis, »sed Christus, D. est homo, ergo est risibilis,» colligit unam proprietatem naturalem ex altera revelata, et quidem praecipue propter connexionem proprietatum naturarum inter se. Sed connexio harum proprietatum, quae per majorem exprimitur, non continetur formaliter in minori solum revelata, nec per eam explicatur: connexiones enim physicae et morales rerum possunt frustari, metaphysicae a Deo non revelari, ut cum Deus revelat sua praedicata absoluta non censetur revelare relativa cum absolutis metaphysice connexa. Ergo solâ praemissâ minore particulari tantum revelata non constat de revelatione extremi praemissae majoris, quod in conclusione continetur; ergo nequit haberi ut de fide (3).

**74. Dico III.** Conclusio solum probabiliter contenta in universali revelata non est de fide simpliciter quoad obligationem credendi; sed solum probabiliter quoad participationem rationis formalis objecti fidei.

I.<sup>a</sup> Pars. Prob. Quia ut aliquid sit simpliciter de fide quoad obligationem credendi, necessarium est ut ejus revelatio tanta nobis proponatur certitudine, ut de ea non possimus prudenter formidare: sed non ita proponitur revelatio de qua solum datur probabilitas. Ergo...

II.<sup>a</sup> Pars. Prob. Quia eo ipso, quod proponitur probabiliter ut revelata, est probabiliter credibilis propter Dei testimonium, ac proinde probabiliter de fide secundum se et in abstracto, seu quantum est ex parte objecti formalis fidei.

(1) Disq. IV. Thes. XXVII.—(2) *De fide.* D. 6, sect. 4, nn. 7, 8.—(3) Si aliquando ex majori universali non revelata v. g. «omnis homo est animal rationale» deducitur conclusio tamquam de fide, ex particulari revelata, v. g. «Christus, qui est homo, est animal rationale,» id fit ratione materiae, nempe quia in praemissa revelata «Christus est homo» etiam formaliter et implicite revelatur: «est animal rationale.»

Hoc ultimo sensu et non alio loquuntur auctores, qui affirmant aliquam propositionem esse de fide, quam alii probabiliter negant absolute, aut saltem docent non esse de fide.

### THESIS X.

Actus fidei divinae salutaris est supernaturalis quoad substantiam.

75. **Nota.** Supponimus (1) communem distinctionem entis supernaturalis in supernaturale quoad substantiam et supernaturale quoad modum. Illud relative conceptum dicitur quod superat omnem naturae creatae vim et exigentiam activam et passivam, ut lumen gloriae, unio hypostatica, etc. Hoc vero dicitur, quod licet ex naturae viribus posset fieri; attamen hic et nunc a Deo praeter naturae exigentiam fit; v. g. si fieret *gratiâ* idem actus *fidei acquisitae*, qui propositis motivis credibilitatis naturaliter haberi posset.

Thesis habet duas partes, prima praecise a modo est de fide; secunda est sententia omnino tenenda (2).

Prob. breviter, quia in Disquisitione superiore (3) de hac re actum est: 1.º Ex Vaticano definiente (4): «Si quis dixerit assensum fidei christianae non esse liberum... aut ad solam fidem vivam, quae per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse; anathema sit;» et docente (5): «ipsa fides in se, etiamsi per charitatem non operetur, donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae ejus, cui resistere posset, consentiendo.» Vide etiam Tridentinum sess. 6, can. 3; Arausicanum II, can. 7.

2.º S. Paulus absolute dixit (6): *Non quod idonei simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ad Ephesios (7) expresse: *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est.*

3.º Caelestinus I. statuit (8): «omnium bonorum affectuum atque operum et omnium studiorum omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, et non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita praeveniri, per quem fit, ut aliquid boni et velle incipiamus et facere.» Illi consonant Leo M. (9), Innocentius I (10), et Patres, qui adversus pelagianos dimicant inter quos eminent S. Augustinus, Lib. *De natura et gratia*.

(1) Vid. Disq. IV. Quaest. praev. — (2) Vid. Disq. IV, n. 43. — (3) Thes. VI, cum Scholio; Thes. XXIV. — (4) De fid. can. 5. — (5) Ibid. cap. 3. — (6) II.º Cor. III, 5. — (7) II, 8. — (8) Epist. ad Episc. Galliae, cap. 12. — (9) Epist. 38. — (10) Epist. ad Augustinum.

4.º Ratione D. Thomae (1). Ad visionem Dei, in qua consistit ultima beatitudo hominis, intellectu ac voluntate acquirendam, nemo pertingere potest sola vi naturae (2), sed opus est, ut intellectus interventu caelestis ac supernaturalis doctrinae ductus eo pertingat; juxta illud Joannis (3): *Omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.* Sed discere a Deo nemo potest quidquam, nisi Deo docenti ac revelanti credat. Ergo necesse est credere Deo revelanti, ut quis etc. Subsum. Sed talis actus erit fidei supernaturalis. Ergo...

76. II.ª Pars. Prob. 1.º Quia Scriptura et Patres et Concilia in prima parte adducta docent absolute et simpliciter actum fidei esse donum Dei, superare vires naturae etc. Ergo sentiunt esse supernaturalem non solum secundum quid seu in modo, sed absolute et simpliciter, ideoque etiam in substantia.

2.º Fides disponit ad gratiam et gloriam supernaturalem in substantia. Sed dispositio debet servare proportionem cum re ad quam disponit, Ergo...

Obj. Ex D. Angelico (4), qui docet, actiones ad quas infunduntur habitus non esse supernaturales secundum substantiam actus sed solum secundum modum.

Resp. Explico sensum, non sunt supernaturales, quoad substantiam si considerantur secundum rationem genericam actus; conc. Si secundum speciem; neg. Ratio est, quia S. Doctor l. c. instituit comparisonem actuum fidei et dilectionis Dei, cum eo, quod est facere miracula, directe cognoscere occulta divinae sapientiae etc., quorum similia neque generice potest natura facere; e contra actuum fidei, spei et charitatis, potest aliquid simile solis naturae viribus v. g. ab haeretico haberi. Hac de causa S. Doctor actus fidei, spei etc., non in se, sed respective ad miraculorum patratiorem, occultorum Dei judiciorum directam intelligentiam, etc. vocat supernaturales quoad modum et non quoad substantiam.

Alias objectiones vide Disq. IV, n. 44.

### SCHOLIA.

77. I. Pia affectio proxime imperans assensum fidei est quoad substantiam supernaturalis.

Ita constat ex Scriptura, Patribus et Conciliis quibus Disquis. IV, n. 42 probavimus initium fidei requirere gratiam et quidem supernaturalem quoad substantiam n. 43. Hic ratione tantum breviter demonstrabitur: a) Quia si voluntas credendi esset ex solis viribus naturae, initium salutis esset ex nobis et non ex gratia. Sed hoc ab

(1) 2. 2, Q. 2, a. 3. — (2) Disq. IV, Q. praev. Dico III. — (3) VI, 45. — (4) 2, 2, Q. 171, a. 2 ad 3.

Ecclesia reprobatur (1). Ergo... *Conseq. majoris* prob. Quia fundamentum salutis est fides, et ad initium fidei pertinet voluntas credendi maxime imperans ipsum assensum: ergo si hujusmodi voluntas esset ex nobis i. e. viribus nostris, nos per nosmetipsos initium nostrae salutis essemus. b) Talis voluntas est quasi ultima dispositio ad donum fidei: ergo si illa voluntas esset naturalis, homo viribus suis sufficienter se disponderet ad aliquod donum gratiae infusae, quod etiam est fidei contrarium. c) Jam tota gratia esset ex aliquo merito hominis, saltem impetrative vel de congruo; et ita gratia jam non esset gratia, quia esset ex operibus. *Conseq. prob.* Quia illa voluntas aliquod opus est, et aliquale meritum, cum optime disponat ad fidem. d) Praeceptum credendi est supernaturale: ergo non potest impleri viribus naturae. Subsumo, sed impletur per hanc voluntatem seu piam affectionem; quia praeeptum datur de actu libero ut liber est, et ideo principaliter refertur ad voluntatem, qua vel violatur, vel custoditur; ergo talis voluntas efficax et sufficiens ad implendum illud praeeptum, non potest haberi sine gratia.

Dices: Potest quis converti ad veram fidem propter regnum, divitias, aut alia commoda naturalia acquirenda, vel mala vitanda, ut experientia docet. Sed talis intentio seu voluntas amplectendi fidem non est supernaturalis. Ergo...

Resp. Dist. *maj.* Propter illa vel bona acquirenda, vel mala vitanda mediate et remote; conc. Immediate et proxime; subdist. Potest converti ad meram externam fidei catholicae professionem, vel ad finem mere humanam et naturalem; conc. Ad fidem internam vere theologiam et supernaturalem. neg.

78. II. Judicium practicum de honestate aut etiam de obligatione hic et nunc credendi est supernaturale quoad substantiam.

*Nota.* Actum fidei praecedat iudicium evidens speculativum credibilitatis, quod ut ex ponderatione exurgit motivorum credibilitatis patet esse naturale; hoc iudicium mediâ gratiâ aliud subsequitur practicum, quo iudicatur: «licet de facto credere et deo credere.» atque de hoc iudicio procedit assertio et consequenter de pia illustratione ad illud disponente.

Prob. Quia practicum iudicium immediate dirigit pium affectum credendi, et hoc mediante assensum fidei quoad substantiam supernaturalem, quare est initium actus salutis. Sed ut saepe docent Patres et Concilia ex sacra Scriptura initium actus salutis non potest esse ex nobis. Ergo...

Dices: Si iudicium practicum credibilitatis est supernaturale debet ab aliqua virtute vel dono Spiritus sancti elici. Sed non est possibile assignare a qua virtute vel dono procedat. Ergo...

Resp. Conc. *maj.* neg. *min.* Ad eam vero explicandam plures sunt theologorum sententiae (2). Inter probabiles solutiones placet solutio P. Lugonis, quem sequuntur Wirceburgenses (3),

(1) Disq. IV. Thes. VI.—(2) Vid. Suar. D. 6, sect. 8, nn. 6-14.—(3) De fide, n. 190.

nempe esse iudicium pertinens ad prudentiam supernaturalem dictantem debitum et obligationem credendi.

Inst. Illud iudicium credibilitatis est ante fidem etiam primo elicitam et in peccatore gratiâ destituta. Sed habitus prudentiae infusae solum datur in justo. Ergo nequit illud iudicium elici a prudentia infusa saltem in infidelibus et peccatoribus.

Resp. Quamvis aliqui auctores probabiliter neg. *min.* et loquantur de acquisitione vel amissione prudentiae infusae sicut de habitu fidei, probabiliter existimo respondendum esse, totum concedendo et negando aliquod sequi inconveniens, sicut enim primus actus fidei et charitatis non elicitur ab habitu, sed per auxilium divinum transiens, sic illud primum iudicium, licet sit prudentiae supernaturalis non elicitur ab habitu, sed per auxilium.

### THESIS XI.

Actus fidei est essentialiter obscurus et inevidens ac proinde liber.

79. *Nota.* Essentialis obscuritas et inevidentia actus fidei intelligi potest permissive vel exigitive; permissive si talis est habitus fidei, ut ex suis intrinsicis non postulet evidentiam in objecto formali, quamvis non excludat; exigitive si talis est, ut per se exigat non cognoscere rem clare in se, vel in principiis aut effectibus intrinsicis, seu per habitudinem essentialem cum re credenda connexis; sed praecise propter extrinsecum Dei testimonium nobis obscure propositum. Thesis qua asserit obscuritatem, prout praescindit a permissiva vel exigitiva est catholice certa, qua intendit exigitivam affirmare est communior et verior sententia (1).

Ex essentiali obscuritate fidei profuit ejus libertas, quam proinde simul cum obscuritate asserimus. Haec pars est fidei definitae a concilio Vaticano contra aliquos docentes (2), actum fidei non pendere ab affectu voluntatis, sed intellectum positus motivis credibilitatis tam necessario credere, sicut positus praemissis alicujus demonstrationis, conclusioni assentiri debet; etiam est contra modernos rationalistas putantes fidem esse necessarium humanae rationis partem.

I.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Ex S. Paulo definiente (3): *Est autem fides sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium*, et docente (4): *Videmus nunc per speculum in aenigmate*. Christus D. beatos pronuntiavit (5) eos, *qui non viderunt et crediderunt*. Sed fides non esset non apparentiam simpliciter, nec videremus tantum in

(1) De fide Lugo D. 2, n. 7.—(2) v. g. Holcot in I, P. q. 1.—(3) Hebrae. XI, 1.—(4) I.<sup>a</sup> Cor. XIII, 12.—(5) Joann. XX, 29.

aenigmate ante ingressum patriae, si vel in suo medio seu objecto formali esset evidens. Ergo...

2.<sup>o</sup> S. Gregorius M. (1). «Fides non habet meritum ubi humana ratio praebet experimentum.» S. Augustinus (2): «Fidelis sum, credo quod nescio.»

3.<sup>o</sup> Ille actus est essentialiter obscurus et inevidens cujus objectum formale est obscurum et inevidens. Sed objectum formale fidei est obscurum et inevidens. Ergo... *Maj.* constat, nam actus suam speciem a propriis objectis formalibus desumunt. *Min.* prob. Motivum formale fidei est auctoritas Dei revelantis quatenus ipsa revelatione manifestatur et creditur. (Thes. VI). Sed tale motivum semper est obscurum, immediate enim propter se ipsum absque evidentiā aliove motivo admittitur. Ergo (3)... Adde plura mysteria fidei, ut SS. Trinitatis, Incarnationis, etc., esse obscurissima, nulla humana ratione demonstrabilia, quae proinde etiam quoad objectum materiale fidem reddunt obscuram. Ergo...

80. II.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Concil. Vaticanum decrevit (4): «Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci... anathema sit.» Antea dixerat (5). «Actus (fidei) est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam.» Eandem doctrinam alia concilia jam statuerant, Tridentinum (6), Arausicanum II (7), Toletanum IV (8), quod ait: «Sicut homo propria arbitrii voluntate serpenti obediens perit, sic propriae mentis conversione quisque credendo salvatur.»

2.<sup>o</sup> Christus D. apud Marcum (9): *exprobravit incredulitatem eorum (discipulorum) et duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse non crediderunt*, pronuntiavitque sententiam: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur*. Apostolus fatetur (10) per Christum accepisse: *gratiam... ad obediendum fidei in omnibus gentibus, pro nomine ejus: et credi corde... ad justitiam*. Sed exprobatio et damnatio incredulitatis, obedientiae gratia et justitiae meritum exigunt libertatem actus fidei; ergo actus fidei est liber.

3.<sup>o</sup> S. Irenaeus (11): «Non tantum in operibus, sed etiam in fide liberum et suae potestatis arbitrium hominis servavit Dominus.» S. Augustinus (12): «Multa potest facere homo non volens; credere autem non potest nisi volens.»

4.<sup>o</sup> Actus fidei est assensus obscurus et certus excludens omnem

(1) Homil. 26, in Ev.—(2) De Trinit. serm. 1.—(3) Vid. Schol. III. Thes. VII, nn. 61-63.—(4) Const. *Dei Filius*, De fid. can. 5.—(5) Ibid. cap. 3.—(6) Sess. 6, cap. 6.—(7) Can. 5.—(8) Cap. 55.—(9) XVI, 14, 16.—(10) Rom. I, 5, X, 10.—(11) L. 4, c. 62.—(12) In Joann. tract. 26.

formidinem; intellectus autem de se ex vi motivorum non determinatur sufficienter ad excludendam omnem formidinem: ergo indiget ad hoc determinatione voluntatis. *Min.* prob. Quia omnia motiva credibilitatis non ostendunt evidenter veritatem articuli; aliter enim demonstrarent objectum, siquidem medium evidens illud dicitur quod cogit intellectum et ab eo omnem errandi formidinem expellit. Ergo motiva non determinant intellectum ad excludendam omnem formidinem (1). Confirm. Antecedenter ad voluntatem solum datur iudicium dictans evidenter, illud objectum esse prudenter credibile sine formidine i. e. bonum esse id facere juxta regulas prudentiae. Sed bonum ut bonum, non movet immediate intellectum sed voluntatem: ergo ab illo iudicio non potest moveri immediate intellectus, sed mediante voluntate, quae ex affectu illius boni imperat assensum certum intellectualem.

81. **Corollarium.** Ergo actus fidei est meritorius.

Deducitur ex ejus libertate cum D. Thoma (2): «actus nostri sunt meritorii in quantum procedunt ex libero arbitrio moto a Deo per gratiam... Ipsum autem credere est actus intellectus assentientis veritati divinae ex imperio voluntatis a Deo motae per gratiam; et sic subjacet libero arbitrio in ordine ad Deum; unde actus fidei potest esse meritorius.» Et re vera probatur:

1.<sup>o</sup> Sac. Litteris: Genes (3): *Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad justitiam*. Joann. (4): *Beati, qui non viderunt, et crediderunt*. Ubi fructus acceptae fidei sunt justitia et gloria seu beatitudinis praemium.

2.<sup>o</sup> Patres jam agnoscunt fidei meritum in ipsis peccatoribus. S. Augustinus (5). «Remissio peccatorum non est sine aliquo merito, si fides illam imperat.»

3.<sup>o</sup> Fides etiam in peccatore est actus bonus et ejusdem supernaturalitatis cum ipsa justificatione; ergo jam in ipso peccatore erit de congruo meritoria; ergo a fortiori in justo erit, et quidem de condigno, cum sit opus salutare liberum a persona grata exhibitum (6).

82. Obj. 1.<sup>o</sup> Obscuritas, inevidentia, non visum consistunt in quadam negatione: ergo non possunt pertinere ad rationem formalem objecti fidei, quae positiva esse debet.

Resp. Dist. *antec.* Obscuritas, inevidentia... consistunt in negatione si in se considerantur; conc. Si in fundamento in quo sunt; neg. Quando dicimus objectum formale fidei debere esse obscurum,

(1) Quomodo si determinarent, adhuc praecisive ab ipsis et concomitanter possit dari fides, vid. nn. 61-63.—(2) 2, 2, Q. 2, a. 9.—(3) XVI, 6.—(4) XX, 29.—(5) Epist. I, 5.—(6) Vid. Disq. IV. Thes. XXIX et seq...